

CLEMENS PAPA VII. DILECTIS FILIIS  
SENATVI ET POPVLO COLONIENSI.



**D**ILECTI filij, salutem & apostolicam benedictionem. Quod semper à vestra pietate expectauimus, supplicesq; à DEO implorauimus, vt vestra ciuitas, olim Romani imperij insignis Colonia, deindeq; Christiane pietatis solida in istis regionibus columna, pollens opibus, robusta viribus, celebrat a literis, eant a circumspectum heresum propinquitate se ille iam Deo cõseruaret, & si qua sui parte corruisset, Dei munere citò consergeret, id cum summa nostra læticia, vestra maxime filij Senatûs pietate & constantia factum esse & continue fieri audimus: idq; ad nos iam vndique nunciatur. Agimus itaq; Diuine misericordie gratias, quòd insignem ac per celebrem vestrae ciuitatem à satane venenis tutata est, sanctamq; Coloniam re & nomine effecit. Vobis autem filij quas possumus laudes paterno affectu reddimus, quaquàm multò impares eas vestris meritis iudicamus. Vestra enim virtus & constantia, non solum sibi ad salutem, verum cæteris proficiet ad exemplum, securus auctoritatem tam insignis, tamq; eximia (nec in Germania, sed etiam in cuncta Europa) ciuitatis. Vos verò filij dilectissimi, vniàm occasionem aliquandò habeamus nostrum erga vos paternum ac peculiarem amorem exhibendi: cuncta vobis quide amittitur signa ostendere paternæ nostræ erga vos ac feruentissimæ charitatis. Hortamur magis ex abundantia affectûs nostri, quam quod necesse id vobis arbitremur, vt in cæpto pietatis cursu perseveretis. Primum consulturi saluti, deinde etiã gloriæ vestræ, atque à Deo ipso (cuius veram religionem à patribus acceptam tuemini) immarcescibiles meritorum cumulos adepturi. A nobis verò, & serenissimo Cesare omnia expectaturi, quæ ab amantissimis parentibus in pietissimos filios conferri possunt. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die vicesimanona Nouembris, millesimo quingentesimo tricesimo primo, Pontificatûs nostri anno nono.

EX CHRONICA DE TEMPORIBVS MVNDI.



**A**GRIPPINA Colonia, quæ ad occidentalem Rheni latus sita est, loco & situ & flumine clara & populo, temporibus Aenææ Troiani ante Christi natiuitatem anno mundi 5179. à quodam Troiano, Colono nomine (vt Sicardus Cremonensis refert) initium sumpsit. sed postmodum Claudij imperatoris iussu, qui Agrippinæ maritus fuit, per Vbiorum populos à Sueuis fugatos, instaurata extitit, & ab Agrippina Claudij vxore, ex eorû progenie ducta, appellata. Quam urbem sic conditam, Vbii populi habitare cæperunt. Veriores tamen historici omnes asserunt, quòd Marcus Agrippa Coloniae illius author fuit: qui licet multa domi, multa foris præclara construxit, illam tamen ex omnibus dignâ censuit, cui suum nomen imponeret, ædificator ac bellator egregius, dignusq; habitus quem Augustus sibi generû ex toto orbe deligeret, non qualiscunq; filij, sed dilectæ, sed vnica, sed augustæ. Is urbem in æmulatione Treueris opulentissimam ordinauit, vt seditiones Gallia comprime posset. Hanc nonnulli Coloniam Romanorum dixerunt. Quæ ciuitas cum Romanorum socia esset, fatali igne consumpta est. In qua Capitolium & ædificia, & ritus Romanorum instar fuere, & adhuc nonnulla extant. Habet enim Capitolium ad effigiem Romani. Videtur ibi templum vrbe media pulcherrimû, quanuis inexplerum, quod haud immeritò summum vocatur. Magorum ibi regum corpora, ab ortu vsq; ad occasum tribus saltibus transiecta, quos æthereum quondam regem, ad presentiã vagientem, cum muneribus veneratos legimus. Hæc libera ac insignis vrbs, metropolis est, cuius Archiepiscopus Romanum eligit imperatorem. In ea multi scientia & sanctitate claruere viri: quorû de numero Seuerinus ipsius vrbs episcopus, Et Albertus Magnus, cuius corpus apud Prædicatores obseruatur. Ibi fermè septingenti ex legione Thebæorum cursum sui agonis compleuerunt. Vrfula quoquæ cum vndecim Virgintum millibus, & alij nonnulli in ea martyrium promeruerunt. Mirum autem est, quanta ibi ciuilitas, quæ vrbs species, quæ virorum grauitas, quæ munditiã matronarum. O nimium felices Rheni accolæ, quorum ille miserias purgat: Germaniæ superioris, nec Ister, nec Albis: Italicorum, nec Padus vnquam valent purgare, nec Tiberis. x pigriora sunt hæc flumina. ¶ Hæc ex Chronica, quam vulgus Norenbergensem vocat.

Matt. 2.

¶ FF. de Censi. L. Fi.

¶ In Germania inferiori Agrippinenses Italici Iuris sunt, id est, tributa Cesaris non prestant.

IN